

7
A. D. G.
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
**EFFECTIBUS ET POENIS
DIVORTII TAM PARTIALIS
QVAM TOTALIS**

QVAM
PRO RITE CAPESSENDA PROFESSORIS JURIS
ORDINARII PROVINCIA
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATA
IN AUDITORIO MAXIMO
DIE XXVIII. FEBR. ANNO MDCCXLV.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

DEFENDET
AUCTOR ET PRÆSES
CRISTIANUS RENATUS BRAUN
J. U. D. SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS PRUSSIÆ CONSILIARIUS
RERUM CRIMINALIUM, ET SUPREMARUM IN REGNO PRUSSIÆ
CURIARUM ADVOCATUS

RESPONDENTE
DANIELE ANDREA ZERNECKE J. U. C.
GEDANENSI
CONTRA OPPONENTES JURIS CULTORES
ERNESTUM THEOPHILUM LILIENTHAL REG. PRUSS.
HEINRICUM CAROLUM JESTER REG. PRUSS.
JACOBUM MADEYKA JOHANNISB. DRYGALLA PRUSS.

REGIOMONTI
LITTERIS HARTUNGIANIS.



SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
FRIEDERIC
REGI PRUSSORUM INVICTISSIMO

RELIQVA
HEROI STRENUISSIMO
PATRIÆ PATRI INDULGENTISSIMO
MUSARUM STATORI FORTISSIMO
VICTORI AC TRIUMPHATORI SEMPER AUGUSTO
REGI AC DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO

hæc novi muneric auspicia

devotissima mente manuqve sacrat

Sacrae Regiae Majestati

subjectissimus

Christianus Renatus Braun,



DE EFFECTIBUS ET POENIS DIVORTII, TAM PARTIALIS QVAM TOTALIS.

§. 1.
Immensa Dei sapientia, uti in omnibus rebus, qvarum complexu hoc universum componitur, ita potissimum quoque in conservatione generis humani, inter alias creaturas nobilissime resplendet. Junxit enim Creator potentissimus maris & foemine sexum arctissimo vinculo illisqve non solum facultatem mixtis corporibus sese propagandi indidit, sed etiam, ut jucunde & libenter mortales matrimonium appeterent acrem & tennerrimam sexuum in se invicem propensionem implantavit, nec non in prolem suscipiendam ardentissimum simul affectum insevit, ne ob molestias partus & educationis onera vel studio vel per legnitiem & incuriam prolis generandae curam omitterent & negligerent.

A 2

§. 2.

§. 2.

Qvam veneranda ergo sit hæc maris & fœminæ conjunctio, partim ab sanctissimi Conditoris & Instituentis auctoritate, partim etiam ab excellentissimo ac toti generi humano tam profecto tamque salutari fine satis superque elucet. Qvamvis enim matrimonium in se & sua natura rebus sacris non sit annumerandum & tam quoad vinculum qvam causas a propria potestate ecclesiastica non pendeat, sed civile negotium sit, ita ut non solum ICti maximi nominis a) verum etiam Theologi Orthodoxi contra matrimonii sacramentum acriter disputatione, & ipse beatus Lutherus in scriptis suis b) ex numero sacramentorum eliminaverit matrimonium, attamen illud divina qvadram sanctione munitum esse & ad finem non solum civillem, sed aliquo modo spiritualem simul tendere, ideoque in rebus mortalium primo loco ponendum & præter cetera humana negotia in eminentiori pretio habendum esse, nemo sane rem aequa animi lance ponderans inficias ibit.

a) Marc. Anton. De Dominis de Republ. Ecclesiast. Libr. V. Cap. XI. Henric. de Coccej. in Dissert. de Matrim. moment. in Proleg. §. I. Joh. Sam. Stryck in Dissert. de Reliqviis Sacrament. in Matrim. Cap. I.

b) B. Luther. in Libr. von Ehe-Sachsen in Präf.

§. 3.

Dicitur autem *matrimonium* alias *Societas nuptialis*, vel etiam *Conjugium*, qvia communi quasi iugo copulantur mas & fœmina, ut utriusque fortunae perpetui sint comites & socii, & est naturalis *conjunctio maris & fœmina a Deo instituta ad mutuum vite adjutorium ac fobolis procreationem*. Requiritur ergo ad legitimum matrimonium 1) *Conjunctio* & qvidem non corporum solum, sed in primis etiam animorum, nam scortatores & adulteri pariter corporibus se conjungunt nec tamen inter illos matrimonium obtinet, qvia non conjunguntur animo vel non cohabitant. Consensus enim, non concubitus, facit Matrimonium c) qvorum pertinet illud qvod Germani de sponsis adhuc ante nuptias usurpant: Für Gott sind sie schon Eheleute. Hæc vero coniunctio requirit consensum non solum sponsi & sponsæ, sed etiam Parentum, & his deficientibus Tutorum & Curatorum, aut Consanguineorum, qvorum consensus partim

de

5

de necessitate, partim de honestate est. Declaratur autem Consensus sponsalitius & matrimonialis non verbis solum, sed etiam gestibus, aliisque signis idoneis, & accedit huic consensui *Benedictio Sacerdotalis* alias Hierologia dicta, quia sanctam & votivam precationem denotat, & nihil aliud est, quam *solemnis ritus*, quo persona sponsata a *Ministro Ecclesie*, *solemner copulantur iisque publice benedictur*, id quod etiam apud nos ad essentiam legitimi matrimonii est requisitum necessarium d) quamvis non negandum sit, dari causas, ubi matrimonium etiam absque benedictione sacerdotali possit dici legitimum e).

c) L. 30. π. de R. J. L. 15. π. de Cond. & Demonst.

d) Corp. Jur. Fried. Part. I. pag 54. §. 26. verb. Endlich wird auch zu einer rechtmässigen Ehe erfordert, daß die Priesterliche Einsegnung darzu komme; denn durch diese Copulation wird die Ehe substantiaret.

e) Reinhold. Fried. de Salme Dissert. Jurid. de Matrim. legitim. absqve Benedict. Sacerdot. §. 7. seqq.

§. 4.

Est haec Coniunctio maris & foeminae sive matrimonium 2) *naturalis*, quia Juri Naturali est consentanea, & naturalis sobolem generandi instinctus non hominibus solum, sed animantibus etiam est insitus, ita ut his major insit voluptas generandi, quam pascendi f). Vim ergo illi inferunt nature, qui homines a legitimo matrimonio arcent, & hanc Legem a Calixto Pontifice Romano originem suam trahere dicunt, ad hosque versiculos occasionem praebuit.

O bone Calixte, mundus totus perdit te,
Qvondam Presbyteri poterant uxoribus uti.

Hoc destruxisti, postqvam tu Papa fuisti.

Ergo tuum merito, nomen habent odio g).

Habet autem haec coniunctio 3) tantum *inter unum marem & feminam* locum, adeoque Polygamia & Polyandria simultanea tanquam Juri Naturali, potissimum autem Divino repugnans est illicit, & adversariorum offuciae solidis argumentis jam dudum sunt refutatae ac rejectae h).

A 3

f) Hoc

- f) Hoc observatum Baconis de Verulamio refert Puffendorfius in Jure Nat. & Gent. Libr. VI. Cap. I. §. 2.
- g) C. Hartknocks Preußl. Kirchen-Historie pag. 86.
- h) Multos inter alios auctores Dissertatio Benemannii sub Präsid. Joh. Sam. Stryckii habita de hac materia legere volute est.

§. 5.

Porro Coniunctio Matrimonialis 4) a Deo est instituta (§. 1.) uti ex Sacris litteris i) apparet. Cum enim post lapsum Protoplætorum morti obnoxium fuerat redditum genus humanum Sapientissimum Numen prospiceret discrimine sexus & naturalem hominibus sc̄e propagandi tam facutatem quam instinctum inseminavit, quæ primæva matrimonii fundatio ac institutio Legis omnino obtinet locum, conjugesqvē interna jam obligatione obstringit; ut secundum regulas virtutis conjugalis vivant & intentioni Divinæ primarie morem gerant. Agnoverunt hanc veritatem ipsi Gentiles, & Aristoteles k) jam docuit aptitudinem maris & foeminae a Numinе Divino profectam esse. Errant ergo illi, qui primam matrimonii institutionem hominibus tribuunt, ut hoc Historicus Justinus fecit, qui l) de Cecrope primo Atheniensium Rege ita loquitur: *Cecrops primus marem famine matrimonio junxit.*

i) Gen. Cap. 1. Vers. 28. & Cap. 2. Vers. 18.

k) Libr. I. Oeconom. Cap. 3.

l) Libr. 6, Cap. 6.

§. 6.

Initur vero hæc Coniunctio matrimonialis 5) partim ob mutuum vite adjutorium, parim ob sobolis procreationem. Duplex ergo tantum est verus matrimonii finis, id qvod ex ipsa Divina institutione elucet (§. 5.). Cum enim Adamas solus erat & consortio sui similis destitutus, Deus ipsi faciebat adjutorium & Ewam creabat, ipsi que ut Conjugem tradebat, dicendo: *Nox est bonum, hominem esse solitarium, faciamus ipsi auxilium seu adjutorium pro ipso m.* Huic autem fini accessit aliis illi subordinatus scil. procreatio sobolis, id qvod

quod ex ipsis Divinae Benedictiois verbis probandum: *Crescite & multiplicamini & implete terram n.*) Cum enim illud mutuum consortium conjunctionem simul corporum comprehendat, voluit quodque Deus, ut ex illo liberi generentur, & creavit inde Sapientissimum Numen Eam ex costa Adami tamque arctissimo vinculo ambo conjunxit, ut debeant duo esse in carnem unam. Addunt quidem alii tertium adhuc Matrimonii finem, quem accessorium vocant, nempe extinctionem libidinis. Sed minus recte extinctione libidinis finis matrimonii dici potest, cum in ipso etiam matrimonio libidini non indulgendum, sed castitati potius studendum est, ne hoc negotium a Deo tam sancte institutum pessime profanetur. Rectius ergo sentiunt illi, qui matrimonium πορνοφυιαν vel medium esse assertunt, ad evitandam scortationem & vagam libidinem.

m) Gen. II. Vers. 18.

n) Gen. I. Vers. 28.

§. 7.

Tandem 6) conjunctio matrimonialis est *indivisibilis*. Arctissima enim est vita coniugalis Societas ac per se & sua natura indissoluble matrimonii foedus & quod Deus conjunxit illud homo ne separet. Comovit hoc multis tam Theologos quam ICtos solidis rationibus probatum reddere, indissolubilitatem matrimonii Juri Diuino innixam esse. Adfunt tamen rationes & causae, quae ejusmodi solutionem vinculi matrimonialis vel totalem vel partialem svadent & permittunt, cum nec sanctiores litterae excludant causas ad divortium idoneas & sufficientes.

§. 8.

Divortium a diversitate mentium nomen accepit o), vel quia per divortium Coniuges in diverfas abeunt partes p) & a recta via discedunt, hinc etiam ab officiis, quae sibi invicem durante matrimonio praesliterunt, soluti sunt. Sumitur autem vox divortii vel latissime, & tunc qualemcumque rerum sejunctionem ac separationem denotat, vel late ita ut concernat personas vel matrimonii vinculo vel sponsaliis junctas q) & in hac significatione etiam repudium sub fe

se comprehendit, quod proprie inter personas desponsatas locum habet, vel tandem *strictè* sumitur vox divortii, & tunc sese tantum ad personas in societate coniugali viventes extendit. Dicitur etiam divortium alias *separatio coniugum*, quæ si sit in perpetuum *divortium quoad vinculum*; si vero a thoro & mensa tantum, *divortium temporale* sive ad certum tempus nuncupatur.

- o) Barnab. Brisson. in Tract. de Verb. signif. ad Verb. Divortium,
- p) L. 2. π. de Divort. & Repud & l. 91. π. de V. S.
- q) L. 1. π. de Cond. Caus. dat.

§. 9.

Præmissis hisce generalioribus principiis ad specialiora progre-diendum & genuina quæ divortiis respondet notio exponenda est. Ex communi vero D. D. sententia *Divortium* nihil aliud est quam *dissolutio vinculi matrimonialis inter conjuges adhuc viventes, ex justa causa, publica Judicis autoritate facta*. Jure Canonico Divortium est matrimonii legitime contracti ex causa superveniente per Sententiam Judicis ecclesiastici facta dissolutio. Differt ergo divortium a Declaratione Nullitatis, per quam non tam matrimonium dissolvitur, quam potius jam statim ab initio pro vitioso & invalido declaratur, daß die Ehe zu Recht nicht beständig sey. Obtinet autem nullitas matrimonii in his potissimum casibus locum 1) quando amborum contrahentium vel etiam parentum & tutorum consensus deficit, uti enim omnis obligationis ita maxime etiam coniugalis fœderis fundamentum est consensus. 2) Si quis matrimonium ad certum tantum tempus contrahere audit. 3) Si is, qui jam uxorem habet hac superstite aliam ducit, 4) quando matrimonium in gradu prohibito contrahitur. 5) Ob impotentiam unius vel alterius contrahentium quae ante nuptias jam adfuit. 6) Si adulter cum adultera connubium initit, vel etiam adulter contra prohibitionem ad certum tempus factam absque dispensatione ad matrimonium provocat. 7) Si quis cum persona, quam vi abduxit copulatus est & 8) si glebae adscriptus vel homo proprius liberam virginem vel uxorem ferilem ejus conditionem ignorantem, modo illa hoc probaverit, in matrimonium duxit. Declarata ergo in his aliisque casibus 1), nullitate

litate matrimonii omnia jura & beneficia matrimonialia simul cessant.

v) Corp. Jur. Fried, Part. I. pag. 55. & 56. §. 34.

§. 10.

Originem divoritorum quod attinet, difficile plane est, natales eorundem accurate determinare. Usus quippe divoritorum antiquis jam temporibus inter plerasque gentes receptus fuit, ita ut fere Juris Gentium dici mereatur, qvatenus scil. pro moribus Gentium illud accipitur. Apud antediluvianos jam divoritorum usum obtinuisse observavit Seldenus ^{s)} & non minus ex historiarum annalibus notum est, divortia inter Hebreos, Græcos & Romanos licita fuisse. Apud hos vero potissimum divoritorum licentia & pruritus ita invaluit, ut ob levem qvamvis caussam a Societate conjugali recedere cuivis integrum & permisum fuerit ^{t)} immo mutuo dissensu seu bona gratia, nec non citra omnem quoque caussam dissolvere matrimonium, adeo naturale visum fuit Romanis, ut ipse Imperator Justinianus ^{u)} hac de re ita se explicaverit: *eorum qva in hominibus subsequuntur, qvicquid ligatur solubile est. Distrahuntur itaque matrimonia alia consentiente utraque parte, alia per occasionem rationabilem, qva etiam bona gratia vocatur, alia vero citra omnem caussam.* In subseqventibus tamen Christianorum Imperatorum & jam Constantini M. temporibus antiqua & arbitraria Romanorum divertendi licentia paulatim restricta & ad justiores reducta est terminos, qvamvis non negandum sit, quod in Praxi liberior adhuc remanerit divoritorum licentia, donec Jus Canonicum in foro civili paulatim usum receptum est, & auctoritatem accepit.

s) Selden. de J. N. & G. juxta discip. Hebreor.

t) Valer. Max. Lib. III. Cap. 6.

u) Nov. 22. Cap. 3. & 4.

§. 11.

De Justitia ergo divoritorum si qværamus, tanta se nobis præsentat discrepans sententiarum farrago, ut omnia pro justitia divoritorum vel contra illam qvæ militant argumenta adducere & concili-

cellare, fines opusculi hujus & scopum nostrum transcenderet. Sufficiat ergo rem in compendium reducere & ex suffragiis probatissimorum tam Theologorum v) quam I^{CT}orum w) qui in ipsis sententiariis divortii medianam tanquam regiam secuti sunt viam, hanc Juri Naturae legique divinae convenientissimam adoptare regulam: *Omne illud quod fini matrimonii ejusdemque essentia contrarium est, & pacti coniugalis violationem directe vel per consequentiam in se continet, jam divorii causam efficit.*

v) Inter hos rem acutetigit & nucleus quasi hac de materia ex S. S. demonstravit celeberrimus in hac Academia Theologus T. C. Lilienthal S. S. Theol. D. & Prof. Ord. in Tractatu suo orbi litterario notissimo, die gute Sache der in der heil. Schrift enthaltenen göttlichen Offenbahrung n. Tom. V. Cap. XI. §. 77. seqq.

w) Leyser. Med. ad π. Spec. 315. M. 1.

§. 12.

Inter has ergo justas validasque dissolvendi matrimonii vinculum caussas prima & potissima est adulterium, quippe quod matrimonii naturae plane contrarium est, & essentialis pacti matrimonialis violationem directo comprehendit. Intelligitur autem hic per adulterium qualibet illicita conjunctio vel commixtio a marito vel ab uxore facta & gravissimis indicis probata vel conjecturis urgentissimis inducta, qualis est deprehensio nudi cum nuda in uno lecto, et si concubitus ipse non probetur x) ut & conversatio suspecta uxoris cum alio contra prohibitionem mariti, osculum luxoriosum & amplexus in loco suspecto, vel etiam litterae amoris Liebes-Brieße y), talis siquidem illicita conversatio & impudica cohabitatio ad πονεῖαν & tam turpitudinem recte refertur, quae vinculum coniugale violat & frangit z). Excipiuntur tamen causas sequentes, ubi accusatio adulterii ejusque effectus locum non obtinent 1) nempe quoad uxorem quae vim passa est aa). 2) Si coniux ex errore cum alia concubat, quam conjugem esse putat bb). 3) Si uterque maritus & uxor sint adulteri, tunc enim amborum adulterium quasi compensatur, salvo tam interesse publico cc). 4) Si coniux delictum vel expresse vel tacite, per cohabitationem scil. subsequentem dd) remiserit. 5) Si ena pars recusando debitum coniugale causam adulterii præbuerit ee) & tan-

& tandem 6) qvando uxor productis de morte mariti absentis testimoniis fide dignis cum alio connubium init, primus maritus autem postea redit ff).

x) C. 12. X. de præf.

Leyser. Spec. 313. Med. 3.

y) Corp. Jur. Fried. Part. I. pag. 56. §. 35. n. 5.

z) Declaravit hoc notabili Casu & Responso Juris, Stryck. in Us. Med. 7.
ad Tit. de Divort. & Repud. §. 53.

aa) L. 13. §. 7. π. ad L. J. de adult.

bb) C. in lectum 6. c. 32. qv. 1.

cc) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. n. 4. lit. a.

dd) L. 13. §. fin. π. ad L. J. de adult.

ee) L 47. π. Solut. Matrim. oder wenn der Mann die Frau wohl gar verkippt hat. Corp. Jur. Fried. loc. alleg. lit. c.

ff) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. lit. e.

§. 13.

Secunda divortii cauſa, ob qvam matrimonium non minus, qvam ob adulterium, tollitur, est *malitiosa desertio*, qvæ tunc obtinet, qvando coniux habet in perpetuum deserendi coniugem animum, adeoque inter illos non amplius coniunctio maris & foeminae neque individua vita consuetudo obtinet. Probari autem ante omnia debet animus deserendi, qui tunc jam per se cessat si quis ex cauſa laudabili ac necessaria Reipublicæ nempe vel militia, vel etiama proprie negotiationis cauſa diutius absuit gg) & relictam coniugem per litteras aut nuntios de vita sua certiore non reddidit hh). *Processum* desertionis autem qvod attinet, ille nec in Jure Romano, nec in Jure Canonico, qvippe qvod divortium ipsum ex capite malitiosæ desertionis rejicit & patientiam potius ac castitatem præcipit ii), definitus aut præscriptus est, hinc ad jus modernum est recurendum, secundum qvod modus procedendi in cauſa malitiosæ desertionis contra desertorem absentem seqvens est. Debet pars deferta, instituta Actione, postqvam desertor per biennii jam metas absuit,

absuit, in antecessum juramento corroborare, ipsi de diverticulo desertoris nihil notum esse & Edictalem Citationem petere, quæ tunc vel mediate vel subsidialiter, in primis ad illum locum est expedienda & promovenda in quo desertor latibulum suum præsumtive habet. Si ergo post terminum in Edictali citatione præfixum absens non comparet, Actor, simulac hæc citatio cum documentis aff & refixionis ad Acta reproducta est, accusata contumacia terminum propositionis in contumaciam extrahit & postquam absenti Mandatarius ex officio ad hunc actum constitutus est, qui ejus jura in Processu contumacie observat, super malitiosa desertione & utrum illa obtineat an non, cognoscitur, ac in primo casu absens pro contumaci declaratur kk).

gg) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. pag. 57. §. 35. n. 11. in fin.

hh) Leyser. Spec. 314. Med. 1.

ii) C. 19. X. De Sponsal.

kk) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. pag. 57. n. 6.

§. 14.

Præter adulterium (§. 12.) & malitiosam desertionem (§. 13.) ex aliis adhuc causis æqvipollentibus & æque gravibus divortium decernitur, & quidem tertio ob insidias vite structas ll). Sicuti enim adulterium tale delictum est, per quod immediate & proxime ipsum vinculum matrimoniale dissolvitur, ita hoc non minus in attentato inter Coniuges homicidio obtinet. Immo si dicendum, quod res est, durius adhuc & violentius videtur lædere vinculum conjugale ille, qui alteri coniugi insidias vitae struit, quam qui adulterium committit, per hoc enim fides tantum coniugalis solvit, coniux vero coniugi mortem intentans vinculum illud universale, quo natura omnes coniunxit homines, simul dirimere audet. Non minus etiam insidiae vitae alterius coniugis structæ malitiosam simul comprehendunt desertionem. Quis enim magis excutit connubiale jugum, quam is, qui alteri mortem accelerare studet?

ll) Stryck. de diffens. Spons. Sect. V. §. 9. & Corp. Jur. Fried. loc. alleg. n. 7.

§. 15.

§. 15.

Permittitur *quarto* dissolutio matrimonii ob *furorem incurabilem supervenientem* mm), cessat qvippe in hoc casu omnis matrimonii finis & talis persona pro mortuo habenda est, cumqve in tristissimo illo statu non aliter sentiendum sit, ac si Deus ipse infelix hocce matrimonium solverit, hinc & in foro soli ejus solutio omnino obtinet, de qua insigne admodum tam Theologorum quam ICtorum Helmstadiensium, Responsum laudatus Leyserus nn) commemoravit. Venit in eadem classe etiam *morbus sonicus & contagiosus vel venereus* oo), ob justam scil. animi averfationem & alterius coniugis metum, ne eadem inficiatur iue. Durum ergo effet in coniugali societate adeo mancipare membra, ut contra humanæ naturæ constantiam invita illa adigantur ad perferendum malum & continuandam societatem ex qua præsentissimum vitæ & sanitatis periculum incurunt.

mm) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. n. 8.

nn) Leyser. Spec. 315. Med. 11.

oo) Leyser. loc. alleg. Med. X. & Corp. Jur. Fried. loc. alleg. n. 8.

§. 16.

Sub malitiosa desertione comprehenditur *quinto pertinax debiti coniugalis denegatio & caussam divortii eo magis præbet, quo magis fini matrimonii direcō est contraria.* Hinc docente Seldeno pp); jam apud Judæos actio debiti coniugalis usitata erat. Adiunxitur huic denegationi ob paritatem rationis simul *sexto impotentia superveniens*, quam quis sibi ipsi malitiose procuravit & propterea pro malitioso desertore habendus est, quia ipsi magis adhuc displicet cohabitatio coniugalis, quam illi qui coniugem deserit. Enarravit de hoc casu exemplum Caspari, Ludovici Nigri Duci Bipontini filii Pareus qq) & ejusdem generis non minus esse videtur, *septimo perpetua ab oris procuratio tanquam infelix, & detestabile medium fini matrimonii e diametro contrarium rr).* Cum autem finis matrimonii non solum sit sobolis procreatio, sed primario qvoqve (§. 6.) mutuum adjutorium & tenerrima vitæ consuetudo: hinc inter cauñas dissolutio-
nis matrimonii porro referuntur *octavo odium, inimicitia irreconciliabi-*

*lis, nec non mores intolerabiles & animorum in totum disparitas, prouti
ipse B. Lutherus ff), has caussas dissolyendi coniugale vinculum ad-
misit, & parum interesse videtur, an animo an corpore se separat
coniux. Duo enim hæc tam arcta copula debent esse coniuncta, ut
corporis coniunctio absqve animorum unione consistere non possit.*

pp) De uxor. Ebr. Lib. III. cap. 6. & 7.

qq) In Hist. Galat. Lib. V. Sect. 2.

rr) Lyncker. Decis. Jenens. Dec. 71.

ff) In Epistola ad Spalatin. Supplement. a Buddeo edit. Epist. 63.

J. 17.

Has potissimas dissolutionis coniugalis caussas recensuisse ex-
rumque notas characteristicas indicasse, sufficiat. Anteqvam autem
secundum ordinem & scopum hujus tractationis ad effectus & poenas
divortii ulterius progrediar, qvædam adhuc de Jurisdictione in caus-
sis matrimonialibus & divortii erunt præmittenda. Egit hac de mate-
ria nuper ex professo Vir Consultissimus DANIEL GRALATH J.U.D.
ejusdem, ut & Historiarum nunc Professor in Illustri Gymnasio Ge-
danensi tt) solidisque superstruxit argumentis, caussas matrimo-
niales sua natura non esse ecclesiasticas sed seculares, & qvamvis illæ
etiam inter Protestantes post reformationem Jurisdictioni Ecclesiasti-
cae vel potius cognitioni Consistoriorum, tanquam Judiciorum qvæ ex
personis ecclesiasticis & secularibus consistunt, relictæ sint, attamen hoc
non ex aliqua ratione necessitatibus, sed potius ex mero Principi Pro-
testantium arbitrio factum est. Dependet ergo a sola Principiis aucto-
ritate ac dispositione, & qvidem magis ex jure summae potestatis qvam
ex jure episcopal, caussas matrimoniales ac divortiorum lites ad for-
mere civilia & secularia remittere ac devolvere. Extant hac de re
in terris Protestantium multa exempla a laudato Auctore uu) allegata,
& eandem qvoque rerum faciem acceperunt caussæ Matrimonia-
les hic in Regno Borussia per novam Constitutionem die 16. Sep-
tembris Anno 1751 promulgatam vv) qvæ sequentis, qvoad passum
concernentem ww) est tenoris „Wir haben dem Departement des
„Hoff-Gerichts auch die geistliche Processe, welche bisher bey denen
„Consistoriis geführet worden, beylegen wollen, weil die Bielheit
„der

„der Justiz-Collegiorum nichts als lauter Confusiones und Jurisdictions-Streitigkeiten mit sich führet. Diesem zufolge, sollen alle Ehe- und Matrimonial-Sachen, wenn der Kläger eine eximierte Person ist, an das Hoff-Gericht verwiesen werden, die nicht eximierte aber sollen die Wahl haben, ob sie bey dem Hoff-Gericht, oder denen Aemter-Collegiis die Klagen anstellen wollen ic. it. xx). Weil des, 5
 „nen Unterthanen schwer gefallen in Ehe- und Matrimonial-Sachen 10
 „bis 20 Meilen an die Consistoria zu gehen, so haben wir diese Sachen den Aemter-Collegiis beylegt, dergestalt, daß die Chor-Processe &c. in dem District eines jeden Collegii vor dem Amts-Collegio tractiret werden sollen. Jedoch mit dieser Restriction 1) daß denen Klägern die Wahl bleibe, ob sie bey dem Hoff-Gericht, oder bey dem Aemter-Collegii klagen wollen, und 2) daß solches nicht auf die eximierte Personen extendiret werden müsse, als welche hierin kein ander Forum als das Hoff-Gericht haben.“ Sunt autem personæ exemptæ vel privilegiatae in causis matrimonialibus omnes illi qui Jurisdictioni loci, quo commorantur, non subsunt, vel ibi forum domicili non habent. Et ita Jurisdictione Judicij Aulici quoad caussas matrimoniales se extendit in Nobiles, Officiales tam ecclesiasticos quam civiles & uno verbo in omnes, exceptis civibus Civitatum Provincialium der Land-Städte, nec non incolarum culmensium & rusticorum der Edlinen und Bauren, in hos nimirum exercent Judicia præfectura die Aemter-Collegia Jurisdictionem respectu causarum connubialium, salva tamen electione fori. Adnumerantur exemptis perlonis in matrimonialibus caussis etiam Judæi, qui, quemadmodum ante novam Justitiae reformationem Consistorium Sambiene pro foro matrimoniali competente agnoverunt, ita nunc Judicio Aulico in his caussis sunt obnoxii. In aliis autem caussis contentiosis & processualibus Judæi juxta verba allegata Constitutionis de Ao. 1751 yy). „Was die Juden-Processe betrifft, so muß es bey der bisherrlichen Verfassung nach welcher die Juden theils unter dem Magistrat, theils unter dem Burggräflichen Amte stehen, gelassen werden, partim Magistratus seu Judicij Civitatensis partim Summi Burggrawianus Jurisdictioni subjacent & forum præventionis hic obtinet. Pro norma dijudicandi caussas matrimoniales jam jam inservit Corpus Iuris Fridericianum qvippe quod in dictis caussis matrimonialibus, ut & tutelæ, in aliis vero non, per expressam sanctionem allegata Constitutionis zz), vim legis accepit, ratione Judæorum autem ritus & insti-

instituta eorum, in primis qvoad gradus prohibitos simul obser-
vantur.

tt) Vide ejus Dissert. Inaug. quam in Acad. hac Regiomont. pro gradu Doct.
die 20. Dec. 1763 summo cum applausu habuit.

uu) §. 17.

vv) Umständliche Nachricht wie künftig die Justiz-Collegia in Preussen bestel-
let werden sollen.

ww) §. 4. pag. 8.

xx) Instruction vor die Königl. Preußl. Haupt-Aemter und darin bestellte Ju-
stiz Collegia pag. 7. §. 14.

yy) Pag. 9. §. 8.

zz) Pag. 9. §. 8.

§. 18.

Pertinet ergo cognitio super divortia ad Jurisdictionem Civilem
(§. 17.) & exinde sua sponte fluit, qvod divortia vel Separations
tam ad tempus, quam in perpetuum & qvoad vinculum neutriquam
privata auctoritate sint suscipienda aaa) qvia nemo in proprio nego-
tio & caussa propria Judex esse potest bbb), sed qvod caussa legitimo
modo in judicium sit deducenda & juxta præscriptum legum dijudi-
canda. Cum autem delicta matrimonialia supra (§. 13. 14. & 15.)
enarrata ut plurimum fieri soleant remotis testibus, hinc indicia eti-
am sufficiunt & faciliores probationes admittuntur ccc). Sed tamen
mox ad Divortium haud est properandum, sed omnes in antecessum
gradus reconciliationis probe sunt observandi; inter qvos potissimum
pertinet seria admonitio & dissidentium partium correctio,
tentamen concordiae adhibitis ambarum partium Confessionarii &
Separatio a thoro & mensa die Scheidung von Haus, Tisch und
Bette ddd), qvæ nihil aliud est quam remedium interimisticum quo
menes coniugum a se invicem alienata ad concordiam & pacem reducuntur.
Dissert hæc Separatio a Separatione qvoad vinculum vel totale di-
vortium jam vi vocis in eo, qvod illa non tollat matrimonium, sed
vinculum coniugale salvum adhuc maneat & illi tantum effectus ad
tempus suspendantur, qvi ex cohabitatione dependent.

aaa)

- aaa) Corp. Jur. Fried. Part. I. pag. 59. §. 43. & Carpzow. Jurispr. Eccles.
Lib. II. Def. 207.
- bbb) L. un. C. ne quis in sua causa.
- ccc) Cod. Fried. P. III. p. 156. §. 16. n. 39.
- ddd) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 44.

§. 19.

Jure Civili Separatio qvoad thorum & mensam plane incognita est, & apud Romanos omnis separatio coniugalis qvoad vinculum erat eee). Deprehenditur qvidem in Jure Romano privata Coniugum discessio fff), verum illa cum separatione a thoro & mensa eo minus comparari potest, qvia illa utriusqve Coniugum voluntate & privato ausu fiebat, hæc autem judiciali auctoritate & invita plerumque altera parte decernitur. Introducta ergo primitus est Separatio qvoad thorum & mensam per Canones Pontificios. Cum enim divortium verum vel qvoad vinculum non permetterent, ex illa hypothesi, qvod matrimonium sit sacramentum, in locum divortii substituerunt separationem perpetuam, tam Sacris Litteris, qvam Legibus Romanorum incognitam ggg), & hæc introduc̄tio plenam in tribus Conciliis scil. Juliani, Nannensis & Tridentino accepit auctoritatem hhh). Est autem hæc Pontificiorum separatio perpetua, ideoqe in effectu nihil aliud, qvam divortium aut solutio vinculi, qvia talis separatio omnem matrimonii substantiam evertit, ita ut pugna qvasi naturalis sit, esse coniugium, ubi perpetua thori & mensæ est separatio iii), qvare B. Lutherus kkk), tam recte inane animorum spectrum, ein nichts, ja ein lauter Gespenst prædicat. Interim tamen hæc solutio perpetua a thoro & mensa, prævia separatione ad tempus, secundum praxin hodiernam respectu personarum Religionis Pontificiæ vel Catholicae in Foris Protestantium & apud nos adhuc obtinet, qvia divortium totale absqve effectu esset, ac sequenti clausula peragitur: als werden Parthe hiemit gänglich von einander separiret, bis der Todt sie scheider. Ex eo simul seqvitur, qvod tales personæ, absqve dispensatione, novum matrimonium inire non possint. Permittitur tamen hoc persona innocentia, qvæ Religioni Protestantice addicta est, vel etiam tunc

C

qvando

quando persona innocens à Religione Catholica ad Protestan-
tium divortium facit, vel conversa sit.

eee) Sam. de Cocceji Jus Civil, controvers. ad Tit. II. de Divort. Qvæst. 3.

fff) L. 32. §. 13. II. de Donat. int. vir. & uxor. & l. 15. II. de act. sex.
amor.

ggg) Corpz. Jurispr. Eccles. Lib. II. Def. 210.

hhh) Stryck, Us. Mod. II. ad Tit. de Divort. §. 6.

iii) De Cocceji loc. alleg. Qvæst. 4. & Parentis Henr. de Cocc. Dissert. de
Matrim. moment. Sec. I. §. 4.

kkk) Tom. V. Jenens. Germ. Fol. 252.

J. 20.

Longe alia proinde apud Protestantes Separationis qvoad
thorum & mensam est qualitas & ratio, huncqve illa maxime in
finem aptiorem plane & commodiorem retenta est, ut sit me-
dium temporale (§. 18.), qvo vel majora inter coniuges evi-
tentur mala, vel adigantur, ut tandem in gratiam redeant illi).
Nunqnam ergo hæc Separatio apud nos inter Protestantes fit in
perpetuum, sed tantum ad tempus, & ob ejusmodi solum mo-
do causas emergentes decernitur, ob qvas separatio qvoad vin-
culum vel divortium non est concedendum. Præcipua harum cau-
sarum sunt sevitiae unius vel alterius coniugis, plerumque mari-
ti; & hic iterum a vigore Juris Canonici qvod mmm), capi-
tale odium & extremam sevitiam reqvirit, receditur; ita ut jam
ob rixas gravissimas & inde ortam inimicitiam, ob qvam non
statim ad concordiam reduci possunt partes, separatio ad tempus,
& qvidem ordinarie ad annum hac clausula: als werden Parthe
zu Beruhigung ihrer gegen einander aufgebrachten Gemüther auf
ein Jahr von Haus, Tisch und Bettet geschieden, conceditur,
et si ei, qvi illam petit culpa aliqua imputari possit. Nunqnam enim
fere innocens dici poterit, qvi cum coniuge litigat, & semper in
promptu erunt, qvæ ipsi objiciantur. In aliis autem casibus &
causis supra (§. 12. 13. 14. 15. & 16.) reconsitit, simulac pro-
batio

batio adest, statim totale divorcium obtinet, ita tamen ut in causa adulterii (§. 12.) in foro matrimoniali super illud non cognoscatur, sed cognitio Foro Criminali relinqvatur, hac clausula; als sollen diese Acta per Mandatum an das Criminal-Collegium gesandt werden, um den angegebenen Ehebruch gehörig zu untersuchen, und darüber rechtlich zu erkennen, da denn, wenn solches geschehen wegen der Ehescheidung und sonst weiter erkannt werden soll. W. R. J.

III) Joh. Georg. Nicolai de Divort. & repud. P. 2. C. 5. n. 5.

mm) C. 8. & 13. X. de Restit. Spol.

§. 21.

Effectus ac Poenæ separationis qvoad thorum & mensam & qvoad vinculum vel divorci totalis maxime differunt. In separatione enim 1) pars nocens innocent & regulariter maritus uxori durante separatione alimenta & qvidem ab eo tempore præstare debet, quo iuste abiit, mala nimurum mariti tractatione justoque metu ad discedendum compulsa. Neque liberabit maritum a præstatione alimentorum, qvod uxor interim ea a parentibus suis aut cognatis acceperit, qvia hoc intuitu solius uxoris factum adeoque marito non prodest (nn). Habet autem uxor ius electionis utrum illata, dotem nempe & paraphernalia repertere, aut alimenta pro dignitate & conditione sua & mariti accipere velit (oo). Si ambo in culpa sunt, determinatio alimentoarum arbitrio Judicis est relinqvenda (pp). Si vero uxor propria sua culpa abit, alimenta a marito petere haud valebit (qq). Porro 2) maritus uxor in casum separationis suppellectilem domesticam & ceteras res, qvibus uxor separata opus habet, extradere debet, & sic vice versa. Durante enim separatione matrimonium non tollitur, sed perdurat, adeoque mutua coniugum officia, sola cohabitatione excepta (§. 18.) non cessant nec jura eorundem subvertuntur. Habitationem interea 3) qvod attinet, ea illi est relinqvenda, cui tempore contracti matrimonii dominium ædium competit, in conducta autem domo pars innocentia durante separatione tueretur (rr), cui etiam 4) liberi ex infelici tali matrimonio progeniti sunt relinqvendi (ss), & ad

C 2

amo-

amovendum dissipationis periculum & rem familiarem salvam
 tuendam, 5) consignatio bonorum utriusque coniugis, si in com-
 munione bonorum vixerunt vel Inventarium & quidem a Judice
 ordinario est conficiendum & actis apponendum, in quem finem
 sententiae separationis seqvens clausula inseritur: Magistratus aber
 hat ein vollständiges Inventarium von der Parthe beydeseitigen
 Vermögen aufzunehmen und einzuschicken, auch dahin zu sorgen,
 daß solches währende Separation conserviret bleibe. Durante se-
 paratione 6) ambo coniuges ab omnibus comminationibus, iniuriis
 tam verbalibus quam realibus & aliis insultibus omnino absti-
 nere debent, & hinc, si metus contraventionis subest cautionem
 de non offendendo pignoratitiam vel juratoriam his verbis: „Ich
 „N. N. schwere zu Gott dem Allmächtigen einen Eyd, daß ich
 „hinführō meine Ehegattin an ihrem Leibe und Leben, oder auch
 „Gütern nicht beschädigen noch gefährden wolle, als mir Gott hel-
 „fe ic., præstare, nec non promissi stare debent, sub poena in-
 carcerationis & perjurii ttt). Ad eandem Cautionem etiam tem-
 pore separationis elapsa pars nocens & inprimis maritus tenetur,
 si uxor justum allegare potest metum, maritum saevitas esse con-
 tinuaturum uuu), cum non solum præterita, sed & timor futu-
 ræ saevitiae attendi debeat vvv), altero autem coniuge durante
 separatione vel post ad frugem redeunte & malos mores suos
 corrigente, revocanda est. 7) Vitæ consuetudo & matrimonium
 auctoritate judiciali, adeo ut pars refractaria, caussa cognita ali-
 qvando ad revertendum & continuandum matrimonium juste co-
 gi possit, qui enim correxit vitam & emendavit mores, sustulit
 separationis caussam, hinc ea sublata & cessante, effectus quoque
 cessare debent. Si vero in contrarium finita separatione tempo-
 raria, nulla spes reconciliationis superest, ita, ut reiterato licet
 tentamine concordiae & readhibito Clerico vel Confessionario,
 tamen neque in marito poenitentia neque in uxore venie locus
 sit, sed potius in una vel altera parte iracundia, ultiōnis cupi-
 ditas, adversæ mentis pertinacia & inimicitia capitalis appareat,
 tunc terminis seqventibus. „Alldieweilen die bisherige Separation
 „zu beydeseitigen Parthe Beruhigung nichts beygetragen, sondern
 „ihre Gemüther noch mehr erbittert geworden, und einer gegen den
 „anderen einen unversöhnlichen Hass bezeugt, auch nach nunmehr
 „geendeten Separations-Jahr beyde auf die gänzliche Ehescheidung
 „anges

„angetragen haben, und aller ihnen geschehenen Remonstrationen „ohngeachtet sich zu keiner Wieder-Vereinigung bequemen wollen, „als wird vorkommenden Umständen nach, und da zwischen Par- „then keine fernere vernünftige und christliche Ehe zu vermuten „steht, das Band der Ehe zwischen ihnen hiemit gänzlich getren- „net und aufgehoben, dergestalt und also, daß es einem jeden von „ihnen frey steht sich seiner Gelegenheit nach, auch allenfalls so- „gleich jedoch mit mehrerer Behutsamkeit und Ueberlegung von „neuem anderweitig zu verheyrrathen.“ ^{rc.} ad totale divortium pro- greditur & quidem hoc cum effectu ut 8) pars nocens refractaria omnes divortii penas luere debeat www), jus tamen succedendi 9) etiam parti nocenti salvum manet, qvando forte pars altera durante separatione, judiciali auctoritate, non vero pri- vato consilio & ausu facta, morte decepit, de qvo ratio in promtu est, nimirum, qvia durante separatione qvoad thororum & mensam vinculum matrimonii nondum solutum est, sed potius subsistit xxx), & ex eadem ratione 10) etiam debita durante se- paratione ab uno vel altero Coniugum in communione bono- rum viventium contracta & in rem familiarem, licet intentione tantum versa ex communi massa sunt solvenda.

mm) Arg. I. 10. §. 13. & I. 26. §. 3. π. Mandat.

ooo) Corp. Jur. Fried. p. I. pag. 59. §. 46.

ppp) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 51.

qqq) Carpz. Jurispr. Consist. Lib. 11. Def. 213.

rrr) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 49.

sss) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 48.

ttt) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 52.

uuu) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 53.

vvv) Cap. literas X. de Rest. Spoliat.

www) Corp. Jur. Fried. loc. cit. §. 54.

xxx) Carpz. Jur. Ecclesiast. L. 11. Def. 215. Job. Balthas. a Wernher Select. Obs. for. p. VI. Obs. 325. Corp. Jur. Fried. loc. cit. §. 55.

§. 22.

Aliæ adhuc & diversæ effectus ac pœnæ occurunt in separatione quo ad vinculum vel totale divortium idque tam respectu personarum quam bonorum. Personas enim quod attinet Coniuges & quidem potissime tam ob adulterium (§. 12.) prævia nimis causa in foro criminali cognitione (§. 20.) quam etiam ob malitiosam desertionem (§. 13.) ita dissolvuntur ut parti innocentia nuptias cum alia persona & quidem ex nunc, si modo, quod uxor a marito non grida sit, satis constat, contrahere liceat ^{yyy)}, id quod sequentem in modum decernitur. „All die weiten Besklagter, nach vorgängiger Untersuchung des Ehe-Bruchs schuldig erkannt, und dieses Verbrechens wegen bestrafet worden, als wird nach Vorschrift der Rechte das Band der Ehe zwischen diesen beyden Eheleuten hiemit gänzlich aufgehoben, der Klägerin allein sich ihrer Gelegenheit nach, auch sogleich, jedoch mit mehrerem Bedacht zu verheyrathen gestattet, und Beklagter in Verlust eines Drittels seines eigenen Vermögens, wie auch in Bezahlung der Unkosten dieses Processus hiemit verurtheilet, &c. parti nocenti autem spes aliarum nuptiarum non aliter remanet, quam subsecuta dispensatione Principis, de qua & de eo, quod justum est circa hanc dispensationem sublime admodum Responsum communicavit Illustris de Cocceji zzz), quod legi meretur,

^{yyy)} Cœrprow. Jurisp. Eccles. Lib. II. Def. 191. §. 198.

^{zzz)} In Jur. Civ. controv. ad Tit. de Divort. Ques. p.

§. 23.

Porro quo ad bona & quidem si maritus causam divortio dedit, ille non solum dotem restituere debet, sed amittit quoque dominium donationis propter nuptias ^{aaaa)}. Si vero nec dos nec donationis propter nuptias constituta est, quod regulariter per Pactum Dotale ut fiat, necesse est, uxor innocens tertiam partem ex omnibus mariti bonis lucratur. Ahi matrimonio culpa uxoris dissoluto marito innocentia dos & donatio propter nuptias, si Pacta dotalia exstant lucro cedunt ^{bbbb)}, nisi liberi ex matrimonio communi adsunt, ad quos dos quo ad prioritatem devolvitur, deficientibus autem pactis mari-

maritus innocens pari modo tertiam omnium bonorum uxoris partem lueratur. Qvoad personas civici ordinis, si cum Paclis dotalibus matrimonium inierunt idem qvoque hic in Borussia obtinet, si autem in communione bonorum vivunt, pars innocens a Dimidia Culmensi alterius coniugis tertiam partem sibi vindicat, ita tamen, ut in utroque casu pars innocens solum usumfructum dictam tertiam partis obtineat & dominium liberis ex illo matrimonio progenitis cedat cccc), qui simul parti innocentis ad educationem sumtibus nocentis relinquntur dddd), prouti hoc ex prajudicato in causa N. contra N. apparet: „Die sämliche Kinder aus dieser Ehe werden der Mägerin zur Auferziehung überlassen, und soll hiernächst, wenn das Inventarium von des Beklagten Vermögen eingesandt seyn wird, wie viel derselbe zum Unterhalt der Kinder beitragen soll, festgesetzt werden, n. & cum post penitus solutum matrimonium omnes ejus effectus cessent, testamanta qvoque talium coniugum, si quæ sunt simili corruunt ceee), & ante omnia ad exdivisionem bonorum zur vollen Auseinandersetzung des Vermögens est progrediendum, ita ut prævio Inventario officioso ab utroque coniugum, in primis autem ab eo, qui durante separatione in possessione bonorum mansit, juramento corroborando, mobilia publica auctionis lege, immobilia vero per licitationem, & subhastationem voluntariam sint distrahenda & ex dividenda, liberis autem, qui ex communi matrimonio exstant, ratione futura tam paternæ quam materna hæreditatis jus saluum maneat ac integrum. Ceterum divorcio semel & quidem in primis ob adulterium & malitiosam desertionem decreto, coniuges ad prius matrimonium privata auctoritate reverti nequeunt, sed ad illud reasumendum a parte nocenti dispensatio Principis & ab ultra que parte repetita Benedictio Sacerdotalis necessario requiritur, quia revera novum initur matrimonium ffff).

aaaa) L. 8. §. 5. C. de Repud. Nov. 117. Cap. 13. & Corp. Jur. Fried. pag. 58. §. 38.

bbbb) L. 8. §. 4. C. de Repud. Nov. 117. C. 13. Corp. Jur. Fried. loc. cit.

cccc) Corp. Jur. Fried. loc. alleg. §. 39.

dddd) Lauterb. in f. Tit. de Divort. & Corp. Jur. Fried. loc. cit. §. 48.

eeee)

cccc) Corp. Jur. Fried. loc. cit. §. 41.
ffff) Stryck. Ul. Mod. π. ad Tit. de Divort. §. 60. & autores ab illo alleg.

§. 24.

Hæc de effectibus & penitentia divortii tam partialis quam totalis, pro instituti & Schediasmatis hujus ratione delineasse sufficiant. Quid vero magis optandum esset, quam, quod alii peiores adhuc effectus morales, qui ex effrenato pruritu disrumpendi frivilis ut plurimum caussis matrimonii vinculum sequuntur, Judicia vexant, immo flagella saepius Divina concitant, nostris in primis temporibus cessarent, illisque obex poneretur &

F I N I S.

S. D. G.




Königsberg, Diss., 1740-99

f



sb.





Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

A. D. G.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
EFFECTIBUS ET POENIS
DIVORTII TAM PARTIALIS
QVAM TOTALIS

QVAM

PRO RITE CAPESSENDA PROFESSORIS JURIS
ORDINARII PROVINCIA
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATA

IN AUDITORIO MAXIMO

DIE XXVIII. FEBR. ANNO MDCCXLV.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

DEFENDET

AUCTOR ET PRÆSES

CRISTIANUS RENATUS BRAUN

J. U. D. SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS PRUSSIÆ CONSILIARIUS
RERUM CRIMINALIUM, ET SUPREMARUM IN REGNO PRUSSIÆ
CURIARUM ADVOCATUS

RESPONDENTE

DANIELE ANDREA ZERNECKE J. U. C.

GEDANENSI

CONTRA OPPONENTES JURIS CULTORES

ERNESTUM THEOPHILUM LILIENTHAL REG. PRUSS.

HEINRICUM CAROLUM JESTER REG. PRUSS.

JACOBUM MADEYKA JOHANNISB. DRYGALLA PRUSS.

REGIOMONTI
LITTERIS HARTUNGIANIS.

